

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum**

**Fecht, Johann**

**Francofurti et Spirae, 1684**

**VD17 VD17 3:315948Z**

LXI.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

mea erga te benevolentiam scribere, sed de professione illius significatum est mihi in ipsis Feriis Pentecostes, quo tempore quales sint nostrae occupationes, non est opus commemorare, cum tibi non ignotae sint. Breviter igitur sic habeto: me tibi verè amicum & benevolum esse. Causa autem, cur nunc ad te scribam, hæc est. Libellum meum scriptum, in quo cogitationes meas de controversia sacramentaria congesti, vellem, sicut WORMATIAE dixi, excudi propter certas causas. Amanter igitur peto, ut exemplar mihi restituas. Illius enim tractatus *Ἐπι κοινοῖς ἰδιωμάτων* non reservavi mihi exemplar. Si huic nostro communi, qui has litteras tibi tradet, commendaveris, poterit tunc ad me perferri. Et egi cum hoc cive nostro, ut à te petat exemplar illud, & ad me in reditu suo deferat. Maximopere etiam rogo, si ullà ratione fieri potest, ut scriptum illud D. Buceri de Cœnâ Domini, quod mihi, cum valedicerem tibi, prælegebas, communicare mihi velis; adhuc enim memoria quædam, quæ obiter notaveram, repetenti valde placent. Poteris tradere famulo tuo, ut mihi describat & polliceor tibi vicissim prompta mea studia in omni officiorum genere. Bene & feliciter vale. Brunsvigæ 1558. 29. Maji.

Si intellexero, officium mearum litterarum tibi non ingratum esse, crebrius & prolixius posthac scribam.

T.  
 Martinus Kemnizius, Minister Evangelii  
 in Ecclesia Brunsvigensi.

## LXI.

*S. D. Reverende Vir & Charissime Frater.*

ET si optarem, Francofurdia non esse scriptos articulos, tamen studium Principum fuit pium, quo testimonium de suo consensu ostendere voluerunt. Postea indicta est Synodus Parthenopea, ut novæ fierent distractiones, quæ cum non processisset, in aulam Wimariensem vocati sunt aliqui ex vicinia. Sed ut concionem apud Aristophanem Balæna regit, ita in illa Synodo Flacius dominatur. Decreta cuduntur jam toto mense *ἔπειτα κοινῶς ἀνάγκης, πρὸς ἀρεταλατρίας, πρὸς ἰσθμῶν*, denique & de meo capite. Hæc cum proferentur, erunt classica novorum certaminum. Sed oro Filium Dei, ut nos gubernet, & servet Ecclesie reliquias & faciat, ut unum simus in ipso. Utar vestro consilio, cum de responsione deliberabo. Nunc vobis commendo Menii filium, Augustum, cujus indoles modesta est, & regi vestris consiliis poterit. Vides Ecclesiam fieri & angustiorem & magis ærumnosam, propter domesticas discordias. Ideo nos, qui conjunctionem pii agminis tueri studemus, induamus paternos animos erga filios amicorum, ut studia doctrinarum conserventur, quæ

A. 1558.

quæ inimici nostri delerè conantur. Bene & feliciter vale. Die Sexto Junii 1558.

Philippus Melanthon.

LXII.

**S** Perpetuas tuas occupationes, mi Marpachi, habeo perspectas: quo æquior tibi sum, etiamsi scribas rarius. Addo, quod etiam tacentem scio charitatem erga Sulcerum firmam retinere. De Ecclesiæ nostræ statu nihil est, quod magnopere scribam; idem enim est, qui fuit pridem. Disciplinam desideramus cujus nomine Magistratum interpellavimus, qui licet placide postulationem accepit, deliberationem tamen de propositis capitibus longius protrahit, quàm vellemus. Et metuumus, ne, ut sunt tempora & mores, minus sit ex voto nostro responsurus. Videmus enim, quam habeantur molesta, quæ quoquo modo ex Ecclesiastica autoritate, licentiæ passim dominantis coercitionem spectant; dumq; tyrannidem Papæ metuumus, pleriq; hujum Christiani suave refugiunt. Declarat hoc ipsum recens Bernensium meorum exemplum, quorum sententia admodum severa fratres pios percelluit, Lausanenses, quantum non profus irritum eum etiam conatum extitisse sperem, eò quod accuratorem inspectionem per censores Ecclesiasticos se procuraturum Magistratus receperit. Pacem & consensum Vobis isthic obtigisse per Dei gratiam, valde gaudeo, posteaquam Collegæ vox obticuit; & precor Dominum Jesum, ut id bonum diuturnum vobis esse velit, certe salutare, & ad reformationem Ecclesiæ puriorem, non esse efficax non potest. Gratum autem, mi frater, feceris, si vel paucis me de rebus vestris edoceas per literas; sed & de Ecclesiis in Palatinatu, tuæ fidei commissis. Qui literas ad te perfert, M. Benedictus Aretius, Bernensis Professor est, Vir eruditione & virtutibus eximius, & de ministerio, symbolis, aliisque religionis puræ capitibus, synceriter sentiens. Ex quo cognosces, quid reipublicæ Bernensis nomine quærat. Versatus est aliquando in Collegio vestro. Commendo eum tibi, ut, si qua possis, consilio juves, qui id rectissime potes & scio voles etiam. Vale, Basil. 9. Septembris Anno 58.

Tuus ex animo

Sulcerus.

LXIII.

**S** Multis nominibus literæ me tuæ refecerunt, Marpachi, frater in Domino colendissime, eò quod de Magdeburgensis Episcopi pia cum civitate conven-

L